

Reparavit visum tusco  
 Cui nocte, sed corrusco  
 Vultu, venit obvius  
     Spem promittens oculorum  
     Quam medela medicorum  
     Denegavit penitus  
 Si sepulchri visitaret  
 Locum; quem cum ignoraret  
 Hesitavit huc an huc  
     Ire posset; sed monstratur  
     Ubi querat, nec frustratur;  
     Et ut alter Abacuc  
 Danielēm hic invenit.  
 In Patavium cum pervenit  
 Primo tumulum  
     Ignoravit sed monstratur.  
     Quo monstrato, mox sanatur.  
     Sanus ad episcupum  
 Venit; visa recitavit.  
 Et antistes convocavit  
 Clerum adque populum.  
     Qui cum testem Christi querunt,  
     Hunc recente repererunt  
     Sanguine porpureum.  
 Quem quo ferant dum certabant  
 Et certantes disputabant  
 Abstulit oblivio.  
     Moras brume naturales  
     Sed supponunt estivales  
     Nubium concussio <sup>(1)</sup>.  
 Hoc auditō sunt commoti  
 Omnes et se freno voti  
 Stringunt ut huic martiri  
     Templum struant. Sic cessavit  
     Quem ventorum vis conflavit  
     Impetus tonitruī.  
 Ad precatus Danielis  
 Nos conserves qui de celis  
 Virginis in gremium  
     Miro passu descendisti  
     Propter culpam quam lavisti  
     Dans eternum premium.

---

(1) Questi ultimi quattro versi riescono un po' oscuri, o per la cattiva lettura fatta dal Dondi nell'antico codice, ora perduto, o, probabilmente, per la perdita di una strofa dopo «nubium concussio».